

**De crisibus : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Fridericus  
Huelsebusch.**

**Contributors**

Huelsebusch, Friedrich.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1843.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nhmq83ry>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

23 9923  
D E  
**C R I S I B U S.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR  
DIE XXIX. M. APRILIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR  
**FRIDERICUS HUELSEBUSCH**  
STELENSIS.

---

**OPPONENTIBUS:**

STEPHANO LAGARDE, med. et chir. Cand.  
OTTMARO WAGNER, med. et chir. Cand.  
JOSEPHO FLIERDT, med. et chir. Cand.

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.







Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22477056>


**PARENTUM DILECTISSIMORUM**  
**M A N I B U S**

**PIO ANIMO IN AETERNUM VENERANDIS**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**







**O**rganismo hominis, non omnes formationis atque conservationis conditiones in se habenti, ad utramque multis externis semper opus est momentis, quae irritamenta aut conditiones vitae necessariae appellantur. Quamdiu hae convenienti et quantitate et qualitate ei sunt, tamdiu organismo vis vitalis insita organa ad vitam necessaria creare, animare et servare potest, atque perfecta fruitur sanitate. At si hae conditiones vitae non aptae sunt quantitate et qualitate, aut si etiam inimice alienae vires continue influunt, morbo organismus afficitur.

Simulac organismus morbo est affectus, eadem vis, quae omnes partes creat, animat et conservat, contra illum in arenam procedit. Summam certaminis inter morbum et vim vitalem, quae tum vis naturae medicatrix vocatur, crisin appello. Hujus doctrina gravissima est, quoniam medicus in curandis morbis id unum spectat, ut faustam crisin quam celerrime perfectissimam adducat:



qua de causa hoc dissertationis argumentum facere conatus sum.

Ut autem summa dijudicationis non semper eadem, sed varia, sic etiam summa crisis morborum. Tum summa est perfecta, et crisis perfecta; tum summa imperfecta, et crisis imperfecta nominatur. Perfecta dijudicatio tam morbo, quam vi naturae medicatrici favere potest. Perfecta quidem dijudicatio vi naturae medicatrici favens, morbi mortem aut salutem affert, et crisis vocatur perfecte fausta; perfecta vero dijudicatio morbo favens ad mortem totius aut unius corporis partis perducit, quo in casu crisis perfecte infausta vel perniciosa dicitur. Imperfecta dijudicatio ea est, qua neque vis naturae medicatrix, neque morbus plane vincit; sed imperfecta valetudo aut morbi posthumi proferuntur, quo in casu crisis imperfecta seu incompleta nominatur.

Ratione temporis habita, quod ab initio usque ad finem unius aut alterius proferendae dijudicationis adhibetur, etiam in hoc varietates animadvertimus. Si dijudicatio unius alteriusve generis celeriter et continuo fit, crisis celeris seu accelerata vocatur. Si vero sensim sensimque, nec tamen interrupte fit, crisis lenta sive protracta appellari potest, quod genus multi lysin nominant, ut eam ab altera, quam solam nuncupant crisin, discer-



nant. Si in dijudicatione intervalla observantur, quod quidem haud saepe fit, crisis dicitur interrupta.

Omniū temporū pathologi in natura crisiū explicanda multifarie versati sunt. Explicationes varias esse necesse erat, atque a natura, quae illis morbo esset, dependere. Hippocrates, ille medicinae pater, qui crudi et intemperati aliquid, materiam peccantem morborum accusavit, naturam crisiū excretiones hujus in stadio coctionis maturatae morbi materiae putavit. Posterī pathologi humorales hanc secuti sunt opinionem; pathologi autem solidares, qui irritamentum aliquod materiam peccantem incusaverunt, per crisin hoc irritamentum morbi removeri existimarunt. Quam opinionem veram esse non posse ex eo patet, quod illae excretiones non ipsae sunt crisis, sed magis ejus caput mortuum, morbum dijudicatum confirmans; quod morbi plures, quin ipsae hae fiant, dijudicantur, tum eae non semper, quum etiam adsint, criticae sunt significationis.

Recentioris aevi pathologi, ut Henle, naturam crisis hoc modo definiunt:

„Crisis est victoria vis naturae medicatricis, reactionis organicae ex morbo reportata.“

Haec definitio nimis angusta est, quia unum tantum crisis genus, primum perfecte faustum sanitati favens, aliis necessarie in verbo crisis involutis omnino omissis, in-



tuetur. Multas alias de natura crisis definitiones praetermittens, quae plus minusve insufficientes mihi videntur, statim ad tempus crisis considerandum transire malo.

Crisis tum omnino temporibus incertis, tum certis apparet. Multi, plerique etiam morbi in dijudicatione certum tempus non sequuntur, sed haec quoque die, quaque hora intrare potest. Causa facile intelligi potest, si respicitur, dijudicationem ex ratione vis naturae medicatricis ad morbum pendere. Si illa aut hic celeriter praevalet, certamen brevi tempore decerni necesse est, et perfecta salus aut mors totius vel partis corporis intrat. Si vero multum temporis necessarium est, antequam alterutrum praevalet, certaminis dijudicatio protrahitur. Certis temporibus crisis incedit, si quaedam praeparatio materiae excernendae excretioni antecedere debet, a veteribus ingeniose coctio nominata, quae verbi gratia in materiis contagiosis requiritur, quae, ut excernantur, in corpore per morbum augeri debent, ad quam rem efficiendam certum temporis spatium requiritur. Quum illa igitur coctio pluribus certi temporis partibus efficitur, quarum quaeque eam ad certum gradum maturat, hac re in morbi decursu plura stadia atque dies insignes, dies indices et dies critici nuncupati, existunt. Secundum Hippocratem quartus, undecimus, septimus et decimus



dies indices, septimus, quartus et decimus atque vicesimus primus dies critici sunt.

Attamen experientia docet, etiam in his morbis crisis nonnisi optimis conditionibus certo die fieri, quae sunt: ut corpus, quod et ad sexum et ad aetatem pertinet, in omnibus partibus legitime sit formatum, secundissimae res familiares adsint, atque omnis morbi decursum perturbans complicatio absit; etenim in hoc casu tantum illa coctio hujus materiae illis morbis necessaria, a vi naturae medicatrice non impedita, certo die perfici potest. Quam raro illae conditiones omnes praesto erunt!

---

### MOLIMINA CRITICA.

---

Morbus ad dijudicationem proventus, sive haec certo sive incerto tempore intrat, semper signa modo ad totum organismum, modo ad partes morbo praecipue affectas, modo ad organa aut loca a natura ad excretionem faciendas designata pertinentia offeret: quae signa tempus crisis indicantia habentur, atque perturbationes criticae propter frequentem in illis partibus observatum impetum appellantur.

Quae ad totum organismum, praecipue ad systema



vasculosum et nervosum pertinent, varia sunt secundum vis naturae medicatricis qualitatem. Quum gravioris sint momenti ad praesagiendum modum crisis quam ad tempus definiendum, ea hoc loco omittam et in prognosi accuratius disseram; quae vero ad organa pertinent affecta, a modo naturaque morbi et illo procreatis mutationibus dependent, longumque est, haec omnia afferre; quae ad organa atque loca a natura ad excretionem designata referuntur, commemorabo, ubi de excretionibus dicam.

De morbis, in quibus excretionem criticae desunt, atque de iis, in quibus observantur.

Excretionem criticae desunt in levioribus nervorum affectionibus, ut in neuralgiis partium secretioni non inservientium, et quae non longum tempus durant, sicut neuralgia ulnaris, cruralis. Porro multis in epilepsiis, in quibus morbis spasmi et somnus excretionum criticarum locum tenent. Interdum etiam in ipsis biochemicis morbis, si nondum caput mortuum est formatum, aut affectus magis ab defectu certae materiae quam a generata materia vitiosa pendet, quod saepe evenit, in reproductionis vitiis, in quibus minus excretio alicujus materiae, magis vero inductio desideratur, ut sanguinis qualitas ad normam reducatur, uti saepe in chlorosi.



Excretiones autem criticae apparent in plurimis morbis biochemicis, qui, si etiam minus in destructionem totius organi intendunt, particulas destruunt, quae sunt excernendae; ut in inflammationibus, cachexiis, alibi. His excretionibus omnino est opus, si morbus biochemicus destructionem completam materiae organicae effecit, ut in puris formatione; porro si materiae corpori adductae sunt, quae a vi naturae medicatrice subigi nequeunt, quae tamen aliquo modo processum biochemicum provocent augendi causa, uti in contagiis.

Causam excretionum in vita ipsa invenimus, quae etiam, dum sanitate fruimur, ubi legitima solum vitae irritamenta adsunt, continua decompositione ad aptam crasin servandam conjuncta est. Quo magis tales appareant decompositiones oportet, quum ad justa vitae irritamenta etiam aliena accesserint. Illae excretiones, praesertim in morbis acutis observatae, neque in chronicis desunt; minus tamen in conspectum veniunt, quia sensim sensimque fiunt.

#### De organis et locis excretioni criticae inser- vientibus.

Ad residua morbi excernenda aut natura utitur organis excretoriis aut in aliis locis deponuntur. Ex na-



turalibus organis excretoriis huic excretioni serviunt plerumque cutis et renes, qui etiam, dum homo bona fruitur valetudine, inutilia removent. Praeterea tubus quoque intestinalis, partes genitales, glandulae salivales, pulmones aliaeque partes.

Num hoc an illud organon sit excretorium, id ab his praecipue rebus pendet:

Ex indole materiae excernendae, quae saepe talis, ut unica via excretoria removeri possit; aut majorem tamen affinitatem habeat cum hoc quam cum organo alio. Sic in rheumatismis materiae excernendae plerumque sunt tales, ut cute, in arthritide vero, ut renibus excerni soleant.

Tum ex morbi sede, in qua saepe excretiones criticae formantur. Sic in pneumonia excretiones efficiuntur per bronchos, in gastricismo per tubum intestinalem.

Porro ex individui indole: sunt enim, quorum omnes fere morbi per idem organon excretorium dijudicentur.

Praeterea ex regione atque tempestate: nam in septentrionalibus et hiemali tempestate plerique morbi per renes, in meridianis et tempore aestivo per cutem residua morbi removentur.

Ex sexu denique: nam saepe mulierum morbi, tem-



pore critico cum mensibus congruente, per genitalia dijudicantur.

In aliis locis residua morbi deponuntur: si copia excernendae materiae tanta est, quantam organa excretoria normalia excernere non valent, aut si haec organa non bene formata vel morbis affecta sunt, aut quando excretiones cura ab illis deductae sunt, aut materiae excernendae inimiciores sunt, quam ut illis viis excedant, aut genius epidemicus, excretiones per eas impediens, pertinaciter alias postulat partes. Quod saepenumero observatur in scarlatina, qua saepe etiam cura intentissima tamen hydropem cutaneum prohibere non potest. Interdum etiam in loco formationis illae materiae manent, quia organismo vis deest, qua eas removeat, aut quia capsulis inclusae in sanguinem transire non possunt. Saepe quoque fluidae solum partes resorbendo aptae remonentur; reliquae partes saepe tum ab involucro telae cellulosae circumdantur, quominus adjacentibus organis damno sint. Illae partes praesertim sunt tela cellulosa et membranae serosae.

De moliminibus criticis, quae apparent in organis excretoriis.

Quaecunque organa ad excretionem eliguntur, semper symptomata accedunt eam indicantia, quae a medicis



critica nominantur molimina. Quamvis haec signa secundum organorum texturam, situm, functiones atque statum, in quo versantur tempore critico, maxime sint varia, tamen omnia in hoc conveniunt, quod ad majorem sanguinis affluxum cum aucta functione conjunctum et ad irritationem materiis excretoriis creatam referuntur. Non nisi locum excretionis indicant, de perfecta aut imperfecta crisi nihil praesagiunt.

Etiam residuis morbi in aliis locis depositis, sunt signa quidem diversissima secundum telarum naturam, situm atque ambitum, tamen etiam omnia initio ad sanguinis majorem affluxum irritationemque illarum partium referri possunt, quae quidem non raro transitum in morbos posthumos faciunt.

#### De excretionibus, praesertim quod attinet prognosin.

Excretiones, quae apparent, partim ad morbum pertinent et sunt ejus residua; partim sunt propter actionem vis vitalis solam contra morbum efficacem in sanguine retentae legitimae excretiones; partim sunt excretiones suppressae, quae [cum morbo quidem non conjunctae, tamen simul cum eo existere nequiverunt, illo autem di-



judicato, iterum apparent; partim plane externis conditionibus provocantur.

In eis aestimandis omnia haec momenta respici debent, ut de iis, quae ad morbum solum pertinent, juste ratiocinemur.

Quae ex singulis excretionibus secundum experientiam praesagiri possunt, sunt fere haec:

Quod spectat ad urinam, hoc est animadvertendum: quando urinae copia ambitui et tempori morbi respondet, neque solum a sumpto potu dependet, qualitas sed atque naturae morbi convenit, sedimentum perfecte submergitur, medio aliquid elato, urina supra illud limpida pellucidaque est: tum perfectam morbi coctionem, atque faustam effectam dijudicationem indicat. Si omnes vel plures harum deficiunt qualitatibus aut ab externis conditionibus praecipue provocantur, imperfectam coctionem atque dijudicationem non omnino successisse declarat, urina omnino non aut, quod saepius evenit, involuntarie emissa, infantibusisque, quorum mens alienata, exceptis, signa dissolutionis quoque odore et colore praebens atque haud raro sanguine dissoluto permixta, nullam coctionem et infaustam dijudicationem effectam indicat.

Quod sudorem attinet, hoc: sudor calidus cum apta quantitate et qualitate, ambitui et tempori morbi conveniens est, quin ab externis solis dependeat conditionibus,



velut multis teguminibus, perfectam coctionem et faustam contigisse dijudicationem significat. Multis deficientibus conditionibus incompletam coctionem atque imperfectam factam esse dijudicationem prodit. Sudor frigidus, glutinosus, copiosissimus, odoris foetidi, nullam coctionem effectam, plerumque etiam exitum in gangraenam et paralysin secutum esse indicat.

Quod ad vomitum pertinet, hocce: vomitus symptoma est diversissimorum affectuum ventriculi et reliqui tubi intestinalis et omnium abdominis organorum, sicut etiam cerebri atque medullae spinalis; ergo qualitas et quantitas varia atque e natura morbi harum partium pendere debet. Longum est, hoc signum in universum censere.

Quod attinet sedes, hoc: sedes, quae qualitate et quantitate loco, ambitui atque naturae morbi respondent, quae non cibis assumptis solum provocantur, coctionem completam et faustam dijudicationem declarant. Ubi id non est, incompletam coctionem atque imperfectam dissolutionem. Sedes frequentissimae, copiosissimae, magis etiam putridae, dissoluto sanguine permixtae, praecipue in infantibus senibusque infaustam dijudicationem adesse praesagiunt.

Quod spectat ad sputa, hoc: sputa quantitate et qualitate, secundum numerosos organorum respirationis mor-



bos valde inter se differunt atque pro sede et natura morbi aestimari debent.

Quod pertinet ad profluvia sanguinis, hocce: si haec apparent, rationem aegroti habitus, naturae morbi, genii epidemici, excretionis organi habeamus. Ubi enim habitus est plethoricus, morbus et genius epidemicus inflammatorius, sanguinis profluvium e naribus, aut apud feminas inprimis mensium tempore e vagina, aut in viris haemorrhoidariis tempore, quo haemorrhoides fluere solent, ex ano fit, neque copia nimis magna est, sanguis ipse colore bono et consistentia, facile coagulatur; tum emissio prognosin bonam non vetat. Ubi vero aegrotus sanguine caret, morbus et genius epidemicus non est inflammatorius, sanguis e pulmonibus et ventriculo emittitur, sanguis ipse tenuis, aquosus et colore pallido est; tum etiam parva emissa copia vi vitali debilitata damno potest esse; quod etiam facilius fit, si sanguis atro colore, non coagulatur, decompositus est et majore copia ex organis morbo jam affectis profluit.

Quod attinet salivam, id: haec haud nimia quantitate et bona qualitate in nonnullis neuralgiis, in quibus glandulae salivales per consensum afficiuntur, sicut etiam interdum in typho, plerumque permittit prognosin secundam.

Serum, lympa, pus etiam per organa excretoria in



conspectum venientia per chemiam et microscopium dignoscuntur, quo adhuc imperfecte facto, certum coctionis et dijudicationis indicium non praebent.

---

## DE CRISIUM PROGNOSI IPSA.

---

De hac secundum genera a me proposita dicam.

Crisis perfecte fausta exspectari potest:

si morbus ad leviores pertinet, non latius patet, organon aut systema affectum minoris est dignitatis ad vitam servandam et ad vim vitalem explicandam, unum alterumve legitime formatum et intactum erat ante morbum; si causae morbi non solum momento temporis, sed etiam constanter removeri possunt, aegroti res familiares sunt secundae, complicationes aut desunt aut licet eas facile vincere, neque tamen tales, quae in decursum morbi vim habent noxiam, genius epidemicus eum non mutat atque certum crisis genus afferre studet, organismus ipse omnibus in partibus, quod vires attinet et materiam, juste constitutus est atque morbi decursus in omnibus stadiis



usque ad hoc tempus criticum secundum morbi naturam, omnium rerum habita ratione, rite perductus est.

Quae conditiones si omnes adsunt, vis medicatrix naturae sufficiens, libera, facilis ad removendum morbum manifestatur. Symptomata omnia inter se consentient. Principalia corporis systemata, systema nervosum, vasculosum et respirationis, haud vehementiorem subibunt mutationem. Itaque pulsus plenus, frequens, neque durus neque tensus, semper autem elatus; deliria et convulsiones aut omnino aberunt, aut non vehementes existent. Excretiones criticae commemorata coctionis signa praebeunt, atque extemplo aut post effectam dijudicationem in pluribus casibus per organa a natura excretioni constituta e corpore removentur.

### Crisis perfecte infausta seu perniciosa timenda est:

Si morbus est gravissimus, ab initio magna cum vehementia incedit, nec solum complura organa, sed etiam unum vel complura systemata afficit; si haec organismo maximi momenti et ad eum conservandum prorsus necessaria sunt; si utraque jam ante morbum incipientem illegitime formata, aut morbis praegressis eorum structura texturaque valde erat mutata, et causae morbi, vel



latentes vel manifestae, removeri non poterant, aut tales sunt, ut brevi tempore paralyzin systematis nervosi et dissolutionem sanguinis, sicut venena, provocent; si aegroti res familiares adversissimae, nec licet eum illis eripere; complicationes malignae ab initio adsunt, sed tamen brevi accedunt, quae morbi normalem decursum valde perturbant; genius epidemicus perniciosam vim in morbum exercet, organismus ab origine, quod vires attinet et materiam vitia magna praebebat, aut haec aetate pro-  
 vecta, dyscrasiis gravioribus, rebus familiaribus adversissimis acquisiverat, et morbi decursus omnibus in stadiis usque ad hoc tempus contra morbi naturam, neque omnium rerum habita ratione, perductus est.

Si omnes aut plures harum adsunt conditionum, vim naturae medicatricem morbo omnino superari necesse est, atque totius aut partis corporis mors succedit. Symptomata omnino inter se dissentiunt, principalia corporis systemata valde commutata sunt, et signa dissolutionis ac paralysis in partibus omnibus apparebunt. Ergo pulsus frequentissimus, celer, parvus, vacuus, digito animadvertendus; in vasis parvis, in quibus sanguinis debilis propulsio ad nihil fere reducitur, hyperaemiae paralyticae existunt, quas telarum decompositiones, mollities, sepsis, decubitus, transsudationes et ecchymoses sequuntur; linguae superficies ex collapsis pupillis fit laevis, arida,



fissa, neque membrana mucosa neque glandulis salivalibus excernentibus, qua re lingua sine praesidio, aëri exsiccanti atque interno ardori exposita, fit fusca, nigra, tremulat, vix aut omnino non ex ore profertur; oris quoque membrana mucosa est sicca atque tegumine nigro oblecta, foetorem putridum exhalans; spiritus est frigidus et foetorem edens. Licet autem lingua sit arida, tamen de siti aegroti non conqueruntur; sensus communis vehementer usque ad apathiam affectus est, musculorum debilitas ad extremum pervenit, functiones animales omnes fere desierunt. Unde haec observantur symptomata: omnium organorum collapsus, facies decomposita, oculi defixi, pupillae dilatatae, tremor artuum, subsultus tendinum, sopor, varia phantasmata, surditas, coecitas, olfactus gustusque amissio, asphyxia; excretiones omnes dissolutionem manifestant, saepe in loco formationis manent, ibique vel majorem vel minorem destructionem efficiunt.

### Crisis imperfecta imminet:

Si morbus inter leviolem et graviolem medium tenet, ulteriori tamen propior est, satis extenditur; si morbus locum habet in organo aut systemate non multum quidem corrupto, sed aut ab origine debili aut prioribus morbis debilitato, aegroti res familiares non secundissimae



sunt neque corrigi possunt; complicationes malae adsunt, genius morbi epidemicus dijudicationi perfectae minus favet, aegroti vires jam ante morbum per defectum illarum conditionum ad sanam vitam necessariarum, aut per morbos magnam relinquentes debilitatem, ut blennorrhoeas, sanguinis profluvia, aliosque discussae sunt; decursus morbi per omnia stadia non apte administratus est.

Quibusdam aut omnibus his conditionibus oblatis vis naturae medicatrix efficax quidem existet, sed tamen ejus conatus ad perfectam dijudicationem non sufficient atque statim nec salus restituetur, nec mors sequetur, sed imperfecta salus, aut morbi posthumi restabunt.

Symptomata omnia, quae tum praecipue in systemate nervoso, vasculoso observantur, debilitatem magnam ostendent.

Qua de causa pulsus frequens quidem, sed minus magnus et plenus. Sensus communis valde affectus, ergo lassitudo magna, convulsiones et deliria; excretiones signa incompletae coctionis praebebunt et tarde per organa excretoria normalia ejicientur, aut saepe in locis aliis deponentur.



**Crisis perfecte fausta, celeris sperari potest:**

Quando morbus ad leviores referendus, minus late patet, organa vel systema affectum minoris est dignitatis, utraque in apta vitae norma versantur, causae efficientes morbum in medio sunt sublatae, aegroti res familiares laetae, complicationes desunt omnes, genius epidemicus huic dijudicationi favet, organismus aetati et sexui conveniens est formatus atque morbus apte curatur.

His conditionibus non majore vis naturae medicatricis intentione ad morbum removendum opus esse solet, quae etiam libera expeditur.

Symptomata cum illis perfecte faustae dijudicationis supra memoratis convenient, atque omnia praevaletentem vim naturae medicatricem ostendent.

**Crisis perfecte infausta metuenda est:**

Quum morbus incipiens gravioris momenti magna vehementia totum fere organismum, aut certe organa et systemata ad vitam maxime necessaria, ut centra nervorum et respirationis vel cor affecit, aut quum jam ante morbi initium vis vitalis erat minima.

Tum vis naturae medicatrix ad defensionem colligi



non potest, vel prorsus deest. Symptomata cum illis perfecte infaustae crisis adlatis congruunt, omniaque paralysin et dissolutionem humorum indicant.

**Crisis lenta, protracta seu lysis expectari potest:**

Ubi vis vitalis morbo exhausta est, organa, quibus natura ad morbi residua removenda utitur, non sunt talia, quae celerem excretionem impedian; morbus sat late patet atque potissimum in organis reproductionis consedit; corporis constitutio torpida, temperamentum phlegmaticum est.

Quae quum ita sint, naturae vis medicatrix longiore coctionis tempore opus erit. Systema nervosum, vasculosum non vehementer excitabuntur, residua morbi paulatim et vix notabili modo e corpore removebuntur.

Hoc dijudicationis genus saepissime in morbis chronicis invenitur.

**Crisis interrupta prospicitur:**

Si morbus magnum ambitum capit, organa momenti gravioris infestat, res familiares, genius epidemicus minus curationi favent, complicationes infaustae decursum produ-



cunt, organismi vires jam ante morbum debilitatae et exhaustae sunt.

Quae si ita se habent, vis naturae medicatrix continuo efficax esse non valet, sed per intervalla refici debet. Omnia symptomata roboris consumptionisque vicissitudinem manifestabunt, signa morbi post virium contentionem unamquamque inclinabuntur, atque residua morbi eodem modo interrupte excernuntur.

---

### STADII CRITICI THERAPIA.

---

Prima disquisitio medico ante instituenda, quam medicamenta adhibeat, est haec: quaenam signa sint morbi, quaenam vis naturae medicatricis? His diligenter exploratis accurateque separatis, vi naturae medicatrici, omnibus e medio sublatis rebus, quae morbum sustentare aut etiam augere possint, certamen contra morbum facilius reddere studeat. Tum ad rationem vis medicatricis ipsius animum vertat: quam, si omnibus in partibus ad morbum subigendum sufficit, in ea conditione servari curet, omnia quidem removens, quae ejus liberam actionem praepediant. Si vero systema nervosum aut vasculosum valde praeva-



let, ei moderetur, ne recentes perturbationes provocentur. Sin autem vis medicatrix debilior apparet, videndum est, num vere sit debilis an tantum suppressa. Vis debilis apta cura tolli debet, virium suppressarum causae explorandae ac removendae sunt. Dijudicatione perfecta vi naturae medicatrici favente effecta, morbi residua aut adsunt aut desunt. Si adsunt, curandum est, ut viis aptis excernantur. Medicus plerumque a natura oblatis indi-  
ciis utatur, quae quidem non semper valde sunt manifesta, quamobrem medicus animum intendat, ut etiam levissimas notas cognoscat. Non semper excretiones statim fiant necesse est, ut neque etiam dum sanitate fruimur, materiae inutiles modo formatae e corpore ejiciantur. Ideo medicum non omnibus in casibus festinare oportet. Porro non semper necesse, imo saepe non salutare, ut illae excretiones continuo sint copiosae, quoniam etiam ad excretionem faciendam viribus opus est, quae saepenumero morbo exhaustae sunt. Medicus his conditionibus excretionibus augens, in multis casibus noceret. Excretiones topicae saepe universalium vice funguntur, atque universales localium partes suscipiunt. Itaque quum excretionibus una tantum via fiunt, aegrotusque in meliori conditione versatur, medicus eas etiam alia via provocare non perseveret. Sin excretionibus per intervalla sequuntur, causa est exploranda. Jacente causa in viribus diminutis, au-



geat vires, jacente vero in debilitate et torpore organi excretioni servientis, hunc apto modo removeat. Ubi autem organon ipsum invenit morbo laborans, omnibus viribus eo nitatur, ut excretiones alia ad loca adducantur, Saepe quoque organon excretorium praeparationem desiderat, quam apte fieri curet. Si morbi residua subita magnaue copia organo alicui excretorio influunt, in hoc animum intendat medicus et inflammationem prohibere studeat, quae sanguinis impulsu magno irritatione nimia facile exoriri possit, unde excretiones ipsae opprimantur. Sed etiam materiarum et excretarum et quantitatem et qualitatem respiciat. Si tales sunt, quales ad faustam dijudicationem esse debeant et prius jam memoratae indolis, nulla adhibeantur medicamenta. Quando vero excretiones faustae crisi non sunt aptae, uti humores corpori utiles et necessarios secum trahentes, causae et explorandae et tollendae sunt.

Perfecte infausta imminente dijudicatione et ita quidem, ut mors prohiberi non possit, medici est, quam facillimas aegroto reddere horas ultimas. Quapropter neque internis neque externis adhibitis remediis gravioribus, ejus desideriiis non omnino nocentibus indulgeat.

Ita autem facta dijudicatione infausta, ut pars aliqua morte afficiatur, hanc a vivo removeat atque jacturam quam optime naturae aut artis ope suppleat.



Si dijudicatio imperfecta est facta, qua sanitas incompleta aut morbi posthumi restiterunt, utrique secundum indolem curari debent. Quod ad incompletam spectat sanitatem, medici est, homini solitorum vitae irritamentorum quantitatem et qualitatem praescribere, ejusque animum ad ea vertere, quae potissimum ei vitanda sint, ne in pristinum vel alios morbos incidat.

---



## V I T A.

---

Fridericus Huelsebusch, Stelensis, natus sum die XVII. mensis Septembris a. MDCCCXI, patre Friderico, chirurgo, matre Catharina e gente Harpe, jam ex longo temporis spatio dira mihi morte abreptis. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis in gymnasio Essendiensi imbutus, vere anni MDCCCXXXI. Monasterium me contuli, ubi scholam medico-chirurgicam per tres annos frequentavi. Tum Berolinum petii, ibique per annum dimidium praelectionibus clinicis Ill. et Cel. Wolff, Rust, Juengken, Busch interfui. Examine medico-chirurgico et obstetricio anno MDCCCXXXV. rite superato, in patrium oppidum reversus sum, in quo per annos quatuor et dimidium praxin medicam universam exercui.



Litterarum amore impulsus, vere anni MDCCCXL. Bonnam adii, ubi testimonium maturitatis ad studia ob- eunda academica adeptus, civibus academicis a Rectore Magnifico Goldfuss adscriptus sum. Lectiones, quas audi- vi, hae sunt: psychologia et logice apud Cl. van Calker; physice experimentalis apud Cl. Pluecker; chemia experimentalis, phytochemia et zoochemia apud Cl. Bischof, zoologia et zootomia Ill. Goldfuss; mineralogia apud Cl. Noeggerath; botanice universalis apud Cl. Treviranus; anatomia chirurgica apud Ill. Wutzer; encyclopaedia et methodologia medicinae apud Cl. Naumann; therapia generalis et clinicum propae- deuticum apud Ill. Nasse.

Autumno anni MDCCCXLI. Berolinum iterum me contuli, ubi Rectore Magnifico Ill. Dieterici, Decano maxime Spectabili Ill. Juengken, civium academicorum numero adscriptus sum.

Scholas adii: Ill. Mueller de physiologia et ana- tomia pathologica; Ill. Wagner de medicina forensi et politia medica; Ill. Hecker de historia medicinae.

Exercitationes clinicas tam medicas quam chirurgicas et ophthalmiatricas et obstetricias frequentavi Ill. Jueng- ken, Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Busch.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago gratias, semperque habebo.



Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine riguroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione una cum thesibus publice defensa, summi in medicina ac chirurgia honores in me conferantur.

---



## T H E S E S.

---

1. Nullis in morbis vis vitalis adaucta.
  2. Institutio ulcerum artificialium in amputationibus prorsus est rejicienda.
  3. Existunt morbi organismo salutare.
  4. Morbi neque nomen, neque tempus valet ad curam.
  5. Nervi vim exserunt in circulum sanguinis per vasa capillaria.
  6. Sectionem caesaream instituentibus incisio in lineam albam et incisio lateralis omnibus methodis aliis sunt praeferendae.
-







